

reliqua appetenda sunt, cur, quod est ultimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarum et maximarum appetitione concluditur? ut Phidias potest a primo instituere signum, idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere et absolvere. Huic sapientia similis. Non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hanc ergo intuens, debet institutum illud, quasi signum, absolvere. Qualem igitur natura hominem inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiae? quid est, quod ab ea absolvi et perfici debeat? si nihil in eo quod perficiendum est, praeter motum ingenii quendam, id est, rationem: necesse est, huic ultimum esse, ex virtute vitam fingere. Rationis enim perfectio, est virtus. Sin nihil, nisi corpus: summa erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulchritudo et cetera. Nunc de hominis summo bono quaeritur.

Quid ergo dubitamus in tota ejus natura quaerere, quid sit effectum? Quum enim constat inter omnes, omne officium munusque sapientiae, in hominis cultu esse occupatum: alii (ne me existimes contra Stoicos solum dicere) eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de non animali aliquo loquantur; alii contra quasi nullum corpus sit hominis, ita, praeter animum, nihil curant; quum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit (neque enim id possum intelligere), sed in quodam genere corporis: ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem utrique idem faciunt, ut si laevam partem negligerent, dexteram tuerentur; aut ipsius animi, ut fecit Herrillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia. At vero illa perfecta atque plena eorum, qui quum de hominis summo bono quaerent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem vacuum tutela reliquerunt. Vos autem, Cato, quia